Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1002
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



150 142

spiritu sancto sine differencia discreacionis sentimus ut in confessione vere sempiterne deitatis et in personis proprietas et in essencia unitas et in maiestate adoretur equalitas. Quam laudant angeli et archangeli cherubin et seraphin sanctus sanctus sanctus dicentes.

Vere dignum et iustum est equum et salutare. Te domine in veneracione beate marie semper virginis collaudare benedicere et predicare. Que et virginitatis gloria permanente lumen eternum mundo effudit christum dominum nostrum. Per quem maiestatem tuam laudant angeli adorant dominationes tremunt potestates. Celi celorumque virtutes ac beata seraphin socia exultacione concelebrant. Cum quibus et nostras voces ut admitti iubeas deprecamur supplici confessione dicentes. Sanctus

De apostolis prephacio

Vere dignum et iustum est equum et salutare. Te domine supplicat exorare ut gregem tuum pastor eterne non deseras sed per beatos apostolos tuos continua protectione custodias ut eidem rectoribus gubernetur quos operis tui vicarios eidem constituisti principes pastores. Et ideo cum angelis et archangelis cum thronis et dominationibus. Cumque omni militia celestis exercitus hymnum gloriae tuae canimus sine fine dicentes. Sanctus

Quotidiana prephacio

Vere dignum et iustum est equum et salutare. Nos te semper et ubique gratias agere. Domine sancte pater omnipotens eterne deus. Per christum dominum nostrum. Per quem maiestatem tuam laudant angeli adorant dominationes tremunt potestates. Celi celorumque virtutes ac beata seraphin socia exultacione concelebrant. Cum quibus et nostras voces ut admitti iubeas deprecamur supplici confessione dicentes. Sanctus sanctus sanctus dominus deus sabaoth. Pleni sunt celi et terra gloria tua osanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine domini osanna in excelsis. Agnus dei qui tollis peccata mundi miserere nobis. Agnus dei qui tollis peccata mundi. Dona nobis pacem